

liche vnd schoene Werck haben vornehmlich D. Simon Musaeus a) vnd Georgius Autumnus b) die Superintendenten zu Gera vnd Graiz gefertigt. Testis horum vterque ac martyr veritatis, omni iure, prior praesertim, dicendus, nec non primarius huius confessionis auctor. c)

- a) De singularibus cordati huius viri factis et fatis legenda, quae dictae relationes innoc. inde a p. 571. usque ad p. 603. prolixè, e schedis ipsius filii, de eo referunt, collatis iis, quae in lexico, quod, in recensendis eruditorum vitis occupatus, IOECHERVS elaboravit, et iis, quae ZEVMERVS in vitis theologorum ienensium memoriae prodidit.
- b) Vid. lexicon iamiam a nobis citatum. Vitam posuere vterque in comitatu mannsfeldensi, diaconi ille in valle Mannsfeld vices gerens, anno c1313 LXXXII. d. XI. Iulii: hic autem anno c1313 LXXXIX. superintendentis generalis munere functus.
- c) Id quod filius eius in vita parentis sui, quae legitur c. I. in relation. innoc. p. 595. refert, et, hanc quidem confessionem, quam expressis verbis patris sui confessionem vocat, Flacianis, Spangenbergii potissimum eiusque asseclarum defensionem flacianae, oppositam esse, affirmat.

Oeconomia et stylus huius confessionis modo simplici, naturali et liberali, secundum ordinem catechismi, procedunt. Iuxta ipsum verbum Dei in scripturis sacris reuelatum, priorem, genuinam, nec variatam augustanam confessionem pro fundamento ponunt, quibus articulos smalcaldicos, vinariensem, luneburgensem, mannsfeldensem confessionem, catechismum et reliqua b. LVHERI scripta, adiungunt: deinde aduersus Antinomorum, Interimistarum, Adiaphoristarum, Synergistarum, omnisque generis Philippistarum, vti quidem tunc temporis vocabantur cryptocaluiniani, errores, nec non contra Canisium, Stancarum, Osiandrum, Georgium Majorem, Iustum Menium ipsumque Calvinum atque Schwenckfeldium horumque omnium doctrinae corruptelas, tum in oppugnandis ac confutandis iis, tum etiam in stabiliendis ac corroborandis verae doctrinae capitibus, pro virili sua agunt.

Flacii se scripta legisse, nec quidquam in iis erroneum inuenisse, libere profitentur, eiusque et zelum et constantiam collaudant: neque tamen iure se Flacianos dici aut Flacianismi postulari posse, autumant